

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19



Q. D. B. V.

DE

15
F E B R E

I N G E N E R E
M O M E N T A Q U Æ D A M

P R Æ S I D E

D^N. JOHANNE PFEFFINGERO

MED. D. PATH. AC CLIN. PROF. P. O.

CAPIT. THOM. CANON.

SOLENNI ERUDITORUM CENSURÆ


SUBJICIT

JOH. BERNHARDUS ULRICH

ARGENTINENSIS

D. II. MAJI, A. MDCCLXXI.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Imprimebat JOH. HENRICUS HEITZ Univ. Typogr.

LIBERALITATIS
OTTONIANÆ
DOMINIS

DISPENSATORIBUS

MUNIFICENTISSIMIS

VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMO

MAXIME REVERENDO, CONSULTISSIMO

EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO

DE RE TAM PUBLICA

QUAM LITERARIA

OPTIME MERITIS

UT GRATISSIMI SUI ANIMI TESTIMONIUM

EXTARET

HOC SPECIMEN

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.



§. I.

A principio existentiae nostrae ad ultimum usque nostrae vitae halitum perpetua solidorum in fluida, fluidorum in solida, & utrorumque in se invicem in nobis actio observatur.

§. II.

Actio solidorum in fluida fit, dum vel actu se contrahunt, vel saltem sese contrahendi nisum exercent; fluidorum vero actio in solida perficitur, vel tantum cohaerendo cum solidis, vel illa premendo, vel impetu quodam in ea agendo.

§. III.

Solidae partes, vel actuali contractione, vel solo se contrahendi conatu, fluidas premunt; fluidae autem, sive cohesionem, sive pressione, sive impetu agant, irritant solidas, & ad contractionem invitant.

§. IV.

Omne fluidum pressum versus omnes plagas aequaliter tendit, sed movetur eum locum versus, ubi minor

est resistentia; omne vero solidum irritatum & ad contractionem invitatum vel actu se contrahit, vel modo se contrahere conatur.

§. V.

Agens pars solida quævis, dum se contrahit, vicinam suam secundum longitudinem trahit, & sic illam stimulat; fluidæ se premunt, terunt & attrahunt quasdam, aliasque e miscela sua excludunt.

§. VI.

His solidorum & fluidorum actionibus & visibus perpetuis in se invicem, remissioribus quandoque, interdum vehementioribus, hominis fit vita, corporis sui incrementum, sanitas servatur, & morbi quoque sæpius profligantur. His actionibus autem cessantibus, vita esse definit.

§. VII.

Cum sic vita humana inter continuos solidorum in se & in fluida visus, & horum etiam in se & solida reactiones transigatur, necesse est, ut aliquid sit, a quo hæc sese contrahendi virtus solidis subministratur. Est autem istud certa quædam elementorum dispositio, quæ ipsorum figura mutari potest, & causa, quæ mutat, cessante, pristinam suam figuram iterum recuperant, i. e. solida nostra vi elastica gaudent. Hac virtute insigniter licet nostrum corpus instructum sit, sola ea, quia etiam per tempus quoddam post vitam superstes est, nec vita suscitari, nec sanitas servari, nec ullus vinci posset morbus, nisi alia quadam vi, non nisi durante vita, & per vitam præsentem nutrireretur & sustentaretur.

§. VIII.

Unde hæc virtus dependeat, & quid sit istud in corpore, a quo solidis nostris hæc virtus suppeditatur, a multis quidem jam retro annis disputatum fuit, & adhucdum vehementer disceptatur; sed certi quid de ea asserere hucusque nondum licuit. Etiam vulgatissima hodie ab omnibus fere recepta sententia, quod ab influxu fluidi cujusdam in cerebro secreti, & quod nerveum, vel spiritus vitales, animales &c. vocant, hancce qualitatem mutuantur, cum fluidi hujus existentia demonstrari nequeat, & quidquid etiam de isto asseritur, non nisi hypothesebus figmentisque suffultum sit, tot tantisque difficultatibus premitur, ut clarior Theoriæ medicæ inde lux penitus non affundatur. Scire sufficiat, aliquid, quamdiu vivimus, inesse nobis, quodcumque jam istud sit, quod machinæ nostræ quasi præsit, & quod insciis etiam nobis, etiam siue volentibus, siue nolentibus, omni momento ineffabilia inexplicabili ratione perficit. Potius in hac re Summi Numinis providentia celebranda esse mihi videtur, quod plura, quæ in nobis contingunt, humanæ cognitioni subtraxerit, quibus, si cognita essent, turbaremus forsan plus, quam promoveremus salutaria naturæ conamina. Sed, cum dicimus, aliquid inesse nobis, quod machinæ humanæ per totam nostram vitam quasi præsit, non credimus, esse istud spiritum immortalem s. animam nostram, aut aliquid a corpore nostro diversum, sed esse qualitatem quandam corporis nostri vivi, quam ipsius partes per ipsam vitam plus minusve sibi conciliant.

§. IX.

His viribus rudimenta hominis semel determinato gradu dotata, tribuente maxime vitali ista, apta reddun-

tur, ut sensim omnia assequi possint, si modo ea decenti quantitate, qualitate & ordine ministrantur, quæ in naturam humanam verti possunt, quibus hominem instrui voluit Divinum Numen. Agunt primum, ut paulatim evolvantur & fiant ea, quæ perfectum hominem perficiunt. Hocce peracto, positis necessariis conditionibus, agunt postmodum, ut partes evolutæ non tantum gradatim ad summum, qui homini possibilis est, perfectionis statum evehantur, sed etiam ut in eo conservetur. Cum vero ex legibus æternis summus hic vigor omni tempore servari nequeat, sed pededentim decrescat contractilibus fibrarum ex elatere virtus, simul quoque vitale robur diminuat, nihilominus sub hac stadii vitalis periodo omnes nisus impenduntur, ut, in quantum eo tempore hoc fieri licet, & machina nostra perfecta maneat, & vita persistat. Inter hæc vero naturæ humanæ, si ita dicere fas est, perpetua lucta est, cum semper corpori nostro inhæreat aliquid, quod perfectum hominis statum pervertere nititur, quod autem, certo respectu, ad perfectionem suam quoque symbolam tribuit. Ast his non obstantibus, possumus, & esse, & sumus quandoque perfecte sani. Interdum vero hoc, quod corpori insidias struit, tanta copia in eo est, ut vel unius, vel plurium partium, vel totius machinæ functiones inde lædantur, i. e. morbis sæpe invadimur, sive particularibus, sive universalibus. Sanum vero sit corpus, sive ægrotet, eadem semper ratione agit, & sese defendit contra ea, quæ sibi noxam, vel jam intulerunt, vel eam inferre conantur.

§. X.

Nimirum corpus humanum & quælibet ipsius pars, quamdiu viva est, certa virtum vitalium, & earum,

quas ex elatere habet, quantitate gaudet. Maxima vi
 instructæ sunt partes, quæ plurimum, majori pollent eæ, quæ
 plus, minori vero, quæ minus ad vitam conferunt, & cum
 his viribus nunquam non in actione versatur corpus. Ha-
 rum virium certa mensura opus est, ut vita duci possit,
 alia, ut sanum sit corpus, & alia iterum, ut præternatu-
 ralis ipsius conditio, s. morbus, si adest, tolli possit.
 Quænam vero in his tribus statibus præcise debeat esse
 virium mensura, determinari hoc nequit. Interea tamen
 sana ratio docet, minorem copiam pro sola vita trahen-
 da, quam pro ea simul sana servanda, exigi, & majo-
 rem in homine ægrotante pro superando morbo, quam
 solummodo eo sano conservando esse necessariam. Nul-
 la autem pars agit, nisi stimulata, & agit pro ratione,
 qua allicitur, ita ut nunquam vires gratis consumantur.
 Mitius alleccta, remissiores, vehementius autem excitata,
 etiam vehementiores nisus instituit. Ast perpetuum in
 corpore incitamentum est, hinc quoque perpetua in eo
 actio animadvertitur. Nulla vero pars agere potest, ni
 eam ipsi contiguam, & hæc vicinas, & remotiores, imo
 remotissimas ab ea etiam stimulet; & sic stimulus & actio
 unius particulæ pededentim per omne reliquum corpus
 propagatur, & ab eo ad omnia priora puncta iterum re-
 vertitur, licet effectus stimuli adeo parvi in parte minus
 sensibili, respectu ad totum corpus, sit minimus, & tan-
 quam nullus sæpius haberi possit: est tamen aliquid. Sti-
 muli vero effectus & ea, quæ istum excipit, actio major
 est, & admodum sensibilis fit, quando vel vehementius
 ejusmodi pars concitatur, vel pars irritata notabili satis
 robore vitali instructa est. Et sic, cum actio cujuslibet
 particulæ ab irritatione dependeat, hæc autem non tan-
 tum fiat ab eo, quod immediate partem tangit, sed ab
 omnibus reliquis punctis, omnes partes corporis ad effe-
 ctum unius symbolam conferunt. Ast stimulata pars omnis se

contrahendo angustandoque vasa agit, & fluidum premit in eis contentum, simul quoque impetus humorum a tergo venientium ad loca angustata crescit. Pressi vero humores, vel loca sua mutare moliuntur, vel ea jam mutant; a vasis autem angustatis ruenti fluido obstaculum ponitur.

§. XI.

At, quemadmodum ea, quæ, humano corpori applicata, ratione suæ indolis, quantitatis, modi quo applicantur, & diversitatis naturæ partium, in quas agunt, mire variant; sic quoque irritatio, & is, qui ex ea fit, effectus, motus nempe, impetus ac plura alia, insigniter admodum differre solent. Interea tamen ex tot nifuum myriadibus, qui quolibet temporis articulo exercentur, nullus est, qui non pro salute hominis suscipitur, & quo natura humana non continuo occupata est, ut excrementitium a miscela sanarum partium non tantum excludatur, sed etiam ea, qua noxium esse potest, aut nocet, virtute aliquatenus privetur, atque ad ea ducatur loca, per quæ secundum naturam alias ejiciendum est e corpore.

§. XII.

In hac materiæ excrementitiæ & salutiferorum conatuum facie sæpius ea ad peripheriam corporis ducta, ibi stagnat & arterias minimas obstruit, & ita irritat, ut hæc plus minus spastice constringatur. Interdum autem peregrina materies ad superficiem corporis delata præternaturali suo stimulo strictiones contra naturam quidem facit, non vero spasticas. In utroque casu momento citius motus humorum circulatorius præter naturam ad-

auctus

auctus deprehenditur. Priorem hanc præternaturalem in homine conditionem *Febrem*, morborum vulgatissimum, posteriorem vero, *motus* tantum *febriles* constituere, existimamus. Unde *Febris* apte per motum humorum circulatorium naturali majorem a spastica peripheria corporis nostri strictione excitatum, vel modo per spasmus superficiei corporis definiri potest.

§. XIII.

Febrem itaque accendere valet quodcunque, quod tanta vehementia irritare potest, ut inde spastica peripheria corporis strictione fieri possit. Nullum autem corpus in rerum natura existit, a quo non spasmus peripherici fieri possunt. Quodcunque ergo corpus machinae humanae applicatum, sive ratione quantitatis, sive qualitatis, sive utriusque sub certis conditionibus causa febris esse potest.

§. XIV.

Valdopere vero respectu suae indolis, quantitatis, mixtionis & cohaesionis, quam cum partibus sanis alunt, partium praeterea, in quibus primario sedem habent, & multarum aliarum circumstantiarum causae febrium differunt, eodem modo etiam harum causarum effectus, seu febres ipsae differre debent. Sic aliae, idiopathicae sive per se existentes sunt, causa ipsarum per solam peripheriam corporis distributa; aliae symptomatae sunt, sive effectus alius morbi; aliae majus, aliae minus periculum habent; aliae brevi temporis spatio finiuntur, aliae in longum trahuntur; aliae graviora, aliae mitiora habent symptomata; in quibusdam conamina naturae semel excitata eadem vehementia continuantur, usquedum illud, quod

B

febrim fecit, viribus corporis fuerit penitus subactum; vel reiteratae pro subigenda causa febris adornantur febres, hac tamen differentia, ut inter duas febres s. duos sic dictos paroxysmos febriles, vel motus febriles continuantur, vel motuum febrilium plenaria observetur absentia; i. e. ut febres sint vel continuæ, etiam continentes dictæ, vel remittentes, vel intermittentes.

§. XV.

Omnes tamen febres, quacunque ratione etiam differant, in essentialibus & iis momentis, quæ immediate ex essentia sequuntur, convenire debent. Conveniunt itaque omnes in spastica peripheriæ corporis strictura, quæ essentiam febris constituit. Plura autem sunt, quæ immediate ex hac strictura consequuntur, & quæ tanquam attributa essentialia & effectus essentialia, qui necessario, seu signa februm pathognomonica, considerandi sunt, & qui, tam in spastice contracta parte, quam in remotioribus, & remotissimis ab iis, contingere debent. Sed videamus spasticæ hujus stricturæ, tam in ipsa corporis peripheria, quam aliis in locis effectus.

§. XVI.

Spastica hac peripheriæ corporis strictura, cujus essentia præternaturalis contractio est, in ea, seu parte primario affecta, ob vasa angustiora reddita, motus humorum circulatorius per vasa minima cessat, cessat per venas resorbentes resorptio, in arteriis exhalantibus transpiratio insensibilis perit, in reliquis arteriis minimis stagnat fluidum, per venas autem majori & celeritate & vehementia cor versus sanguis regurgitat. Ceterum, ob celeriore fluxum humorum, & denegatum per arterias

minimas transitum, sanguis majori copia in corde, pulmonibus & majoribus arteriis per totum reliquum corpus accumulatur. Insuper spastica hac strictura reliquæ ipsius partes vehementius quoque ad contractionem irritantur, obque eandem eandem, quæ in peripheria fiunt, observare licet, quamvis sæpissime minore gradu; scilicet secretiones & excretiones impeditæ, calor imminutus, horripilatio, frigus, constrictiones alvinæ, motus humorum circulatorius per vasa majora naturali major. Ob celeriore & fortiorem refluxum sanguinis versus cor & obstaculum per arterias minimas, aliisque simul causis, quibus tanta augmenta capit, non tantum cor fortius irritatur, & eodem modo etiam vehementiores nifus in sanguinem exerit, sed etiam insigniter impetus in arterias minores & minimas crescit; in istis vero augetur renifus, atque vasa jam angustata per tempus quoddam adhuc magis angusta redduntur, eamque ob causam stimulantur magis interna. His nifibus & renifibus majoribus, & sensim adauctis, & per plures horas, imo dies quandoque continuatis, interdum etiam repetitis vicibus, stato, vel minus stato tempore, institutis, insignis fit pressio, attritus, & agitatio humorum stagnantium, intenditur multum calor in internis, sed infringitur his gradatim materiæ morbificæ tanta vehementia irritandi virtus, alteratur ea & subigitur. Sensim tum decrefcit in exterioribus frigus, & ibi calor redit, ficcus primum, humores arterias minimas obstruentes, & fluiditate sua fere orbat, eam rursus recuperant; imminuuntur stricturæ nimix, renascitur sanguinis & aliorum fluidorum per capillares ductus circuitus, ac partes a spasmu affectæ ad officia sua redeunt, se- & excretiones liberius contingunt; fit odor, deinde fudor, aliaque immediate a spasmu & hujus effectibus fuscitata symptomata decrefcunt cessantque, debilitate in corpore ut plurimum relicta.

Et ita cum febre res cedit, quando corpus humanum actioni materiae morbificae decenter resistere valet. Aliter penitus se habet, quando istud, ut causam febris subigat, minus par est. De quo, ut in specie disseram, jam scopi mei non est. Propositis itaque generalioribus eis, quae per febrim fiunt & fieri debent; videamus nunc etiam hujus rationis in subigenda materia morbifica praestantiam.

§. XVII.

Scilicet, inest corpori aliquid ipsi inimicum, quod febrim accendit, quod, ut sanitas restituatur, ex eo eliminandum est. Triplex vero in universum ratio est, qua istud eliminari potest, nimirum, ut vel ampla satis ipsi paratur via, per quam propriis viribus egrediatur, vel ut istud visibus, & quidem majoribus, quam qui in statu sano contingunt, expellatur, vel ut utrumque perficiatur. Prima ratio multis ex causis nullo modo in corpore vivo locum habere potest; secunda itaque ratione, motibus scilicet extraordinariis & vehementioribus, quam in statu naturali, natura utitur; qui quandoque minus sensiles sunt, quandoque febriles, saepe etiam ipsas febres faciunt. Omnis itaque febris in se spectata in salutem tendit, licet sanitas ob febrim non semper sequatur, sed quamdiu istud, quod febrim excitavit, iisdem qualitatibus instructum remanet in corpore, febris quoque eadem ferocia continuat; hinc materia morbifica qualitatibus suis, sub quibus febrim accendere potuit, privanda est. Cum vero nunquam eas qualitates impetrare possit, sub quibus in naturam redundat, etiam, si ea mutata fuit, tum ejicienda est, fortioribus, quam in statu sano conatibus. Ut autem scopo benignae adeo naturae fiat satis, utque materia morbificae sua, qua nocet, virtute privetur, primo spastica sua strictura, quantum potest, natura occupata est, ut febris fiat, & ut materiam mor-

bificam in uno loco colligat, quo quamvis affecto, tamen actiones ad vitam primario spectantes rite succedere possint: sed colligitur in loco, in quo ordinario excrementitiæ particulæ, & secernuntur, & excernuntur, in quo tutius, quam aliis in locis alteratio materiæ morbificæ fieri potest. Eodem vero tempore, quo natura in colligenda materia morbifica occupata est, conamina omnia exercet, quibus viscera ad vitam necessaria salva conservat; hinc ea excitat magis, se munit, & colligit copiosiores vires, & ita colligit, quo per longum satis tempus agere possit, & demum viribus copiosioribus rite collectis, aggredditur materiem morbificam, eamque subigere nititur; conamina autem ejus tamdiu continuantur, donec ea, vel a corpore fuerit subacta, vel ipsum vi materiæ morbificæ succubuerit. Tandem, cum materia morbifica superata fuit, ne remanens subacta & alterata jam, in corpore ulteriores noxas ex alia qualitate exerceat, ad exeundum aperiuntur, & magis patula fiunt vasa excretoria, remissiores fiunt nifus, & paulatim ad naturalem statum denuo machina humana revertitur.

§. XVIII.

Ast ex antecedentibus elucescit, febrim non fieri, nisi eam fieri necesse sit; adornari vero eam, ut ipsius causa tollatur. Quemadmodum vero omnium conatuum nostrorum, quos etiam in communi vita suscipimus, non semper optatus eventus respondeat præfixo fini, sed sæpe minus fasti, imo plane irriti fiant; sic quoque in œconomia humana, quamvis vita semper optimis, quæ potest, & quæ debet, utatur auxiliis, plura quandoque frustra adhibere solet. Dantur tamen quædam, ex quibus ad bonum magis vel malum febris eventum aliquo modo concludere licet. Quo itaque fiducia

quadam ferri possit præfagium, cum febris sit effectus materię morbificę, ceu potentię cujusdam in corpus humanum vivum, tanquam aliam quandam potentiam, hæc duę potentię, ea nempe, quę agit, & ea, quę reagit, seu resistit, semper disquirendę sunt, & cujusvis, quantitas non tantum, sed & qualitas accurate satis exploranda est.

§. XIX.

Videamus tandem, quale Medici, interpretis naturę & ipsius Ministri, in curandis febribus debeat esse officium, & quęnam ab eo ineunda sit medendi ratio, ad quam rite instituendam primarius omnis medicinę vertitur finis. Sed febris essentiam nifus constituunt naturalibus majoribus, & is febrem tollit, qui hos nifus removere valet. Hi nifus vero cessant, vel remota causſa, vel manente ea, sensibilitate autem & irritabilitate partium remissioribus redditis, vel addendo majus robur partibus, ut resistere valeant iis, quę febrem suscitaverunt, & ea nunc ferre possint. Et triplex hæc ratio medendi febribus possibilis est. Prima ratio naturę morbi maxime conformis est, scilicet tollitur inde febris, & simul removetur id, quod homini febre laboranti insidias struxit. Secunda ratione mitefcere quidem nifus possunt, sed remanet id, quod noxium fuit. Idem, quod de secunda, etiam de tertia fere tenendum est. Quapropter prima ratione, scilicet subtractione & eliminatione febris causſa, tantummodo scopus naturę, uti decet, impetratur.

§. XX.

Natura autem, pro subigenda & expellenda febris causſa, vi utitur, motum scilicet humorum circulato-

rium per corpus adaugendo, & impetum suum majorem inprimis dirigendo ad ea loca, in quibus materia morbifica collecta hæret, quo ea inexplicabili modo alteratur atque subigitur, & demum alteratæ ad exeundum via panditur. Et hanc rationem Medicus, qui præsidio esse vult corpori, sedulo observet, necesse est. Nisus vero naturæ pro subigenda materia morbifica, vel nimium vigent, vel torpent nimis, vel decenti modo se habent. In ultimo casu Medicus debet esse spectator, & monendus tantum ab eo ægrotus est, abstinere ab iis, quæ conamina, vel vehementiora, vel pacatiora reddere possunt. In primo casu moderandi, in secundo autem vegetiores magis faciendi sunt conatus.

§. XXI.

Temperamus autem motus, vel diminuendo motuum causas, vel disponendo ita corpus, ut, præsentè licet materia morbifica, ratione & quantitatis, & qualitatis, minor sit ipsius efficacia in corpus.

§. XXII.

Imminuimus vero nisuum præternaturalium causas, vel diminuendo quantitatem materiæ morbificæ, vel corrigendo ipsius indolem, sub qua nocet, vel utrumque perficiendo. Diminui potest quantitas, vel venæsectione, scarificatione, vesicatoriis, iis, quæ alvum laxant, vel omnibus, quæ secretiones & excretiones per naturalia corporis emunctoria promovent: at indoles nociva corrigitur, vel istis, quæ contrariam habent qualitatem, & quæ diluunt demulcentque humores.

§. XXIII.

Materia morbifica eadem, & ratione quantitatis, & qua-

litis, tantam efficaciam non habet in solida, si horum irritabilitas minor evadit; id quod obtinetur eis, quæ relaxando agentia, vitalitatem solidorum minorem faciunt. Et sic Medicus officio suo satisfacit, si febris nimium urget.

§. XXIV.

Si autem nimium remissi sunt solidorum conatus, quam ut inde subigi possit istud, quod naturæ humanæ inimicum est, & ea languet, vitanda omnia esse, quæ hos temperant, ratio docet; potius tunc ea in auxilium trahenda sunt, quibus febris majori gradu accenditur. In hoc vero nisuum vitalium statu, vel verus roboris vitalis defectus adest, vel hæc quidem virtus inest partibus, ob materiei morbificæ indolem vero non satis hæc provocatur stimulanturque solida. In actuali virium defectu nutriendum corpus, iis autem nutritio absolvi debet, quæ minoribus viribus in humanam naturam cedere possunt. Quando autem vis vitæ non deficit, & tantum hæc non decenter excitatur, internis æque ac externis, quæ solidis stimulum addunt, fuscitanda est.

§. XXV.

Sed indicatum fuit superius, naturam humanam præter legem istam, quod noxium subigat, etiam istam observare normam, ut superatum, ne postmodum, relictum in corpore, ex alia quadam nociva qualitate detrimento fiat corpori, ex eo expellat. Hæc autem expulsio corporis nocentis, vel intra justos est limites, ut sufficiens decensque materiei morbificæ fiat evacuatio, vel copiosa nimium, ut cum eo, quod febrim fecit, etiam particule salutaris egrediantur, vel nimium parca sit.

§. XXVI.

In primo casu iterum Medicus tantummodo debet esse spectator, ægrotantique serio inculcet, ut ab omnibus abstinendum sit, quibus turbari possunt naturæ conatus. In casu secundo roborandum corpus, & si opus est, tantum ea pars, per quam nimia evacuatio contingit; in tertio vero stimulus addendus est interioribus partibus, vel, irritando aut relaxando exteriora, impetus & affluxus impuritatium ad consueta emunctoria invitandus est.

T A N T U M

VD 18


ULB Halle

3

008 342 954







B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.
DE

15

E B R E

G E N E R E

N T A Q U Æ D A M

P R Æ S I D E

ANNE PFEFFINGERO

PATH. AC CLIN. PROF. P. O.

APIT. THOM. CANON.

INI ERUDITORUM CENSURÆ


SUBJICIT

ERNHARDUS ULRICH

ARGENTINENSIS

II. MAJI, A. MDCCLXXI.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

JOH. HENRICUS HEITZ Univ. Typogr.

